DE ICTERO DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD MEDICUM...

Antonio Dabene



DE ICTERO

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICUM LAURUM

RITE OBTINENDUM

IN VETUSTISSIMO ATQUE CELEBERRIMO ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFERT

DABENI ANTONIUS

BERGOMENSIS



PATAVII

EX TYPIS CRESCINI

1843



PATRI

SUAVISSIMO ET OPTIMO

IN

FILIALIS PIETATIS

TESTIMONIUM

HASCE TENUES INAUGURALES PAGELLAS

LUBENTISSIME SACRAT

FILIUS DEVINCTISSIMUS

Icterus a graeco vocabulo ἴκτερος derivatur, quod aviculam flavi coloris significat, quam Latini galbulam vocant, et hoc nomine morbus iste nuncupatus fuit, quia, hac ave spectata, sanari id malum tradunt, et avem mori. Veteres quoque morbum regium, morbum aureum illum vocarunt. Burserius sequentes praebat icteri characteres cutis universa, vel praeter modum flavescit vel viret, vel nigricat, vel pallet, vel vario et mixto quasi pigmento inficitur, quae coloris varietates ab hepatis morbis, atque a bilis excretione impedita, aut imminuta originem habent.

Clarissimus Tommasinius sequentem icteri descriptionem exibet; flavedo cutis, quae presertim in oculis conspicua evadit; urina flava ita ut chartam vel linteum album in eam immissum colore luteo tingere valeat; sanguinis serum plus minusve croceo colore tinctum observatur, feces sunt cinereae et coloris terrei.

Quoad originem icterus dividitur in idiopaticum et in sympthomaticum; quoad decursum in acutum et chronicum, in continuum et intermittentem; quoad extentionem in universalem, et partialem, quoad causas quae icterum inducere solent, tot constitui possunt divisiones quot sunt causae illum excitantes; sic habemus icterum calculosum, phlogisticum et spasmodicum etc.

Nosographia.

Morbus hic quandoque de repente evolvitur, ita ut nullum penitus symptoma prodromum adparere soleat; quandoque autem lente manifestatur, et tunc nonnulla signa prodroma observantur, uti essent: sensus molestus lassitudinis spontaneae, universalis, et membrorum gravedinis, tentio atque ponderis sensus ad hipocondria et ad epigastrium, tristitia, anxietas, inquietudo, adpetitus dejectus, nausea, vomitus ipse biliosus, cardialgia, horroris sensus in extremitatibus, pruritus molestus per corporis superficiem et stypsis.

Postea quam haec prodroma per aliquot dies continuaverant icterus veram suam formam induit. Cutis et albuginea oculorum flavescere incipiunt, quae flavedo sensim sensimque ad reliquas corporis partes extenditur. Certius ac istud phaenomenon sunt urinae quae flaveae, lutae et fere nigrae quae chartam aut linteum in illis immissum proprio colore tingunt. Hisce adjungitur torpor, artuum tremor, somnus turbatus, vigilia molesta, sitis intensa, febris; in regione hipocondriaca dextra autem aeger dolores recurrentes atroces accusat, praecipue si icterus a locali irritatione, vel ab affectionibus spasticis provenit. Increscente morbo phoenomena supradicta quoad intensitatem atque extentionem valdopere augentur. Febris nunc acutissima evolvitur; turbae gastricae, lingua flava, vel muco albo tecta, interdum fusca, praecipue ultimis vitae diebus, dolores in abdomine, ipsius intumescentia, stypsis ostinata vel faeces parvae, cinereae fetidae, et coloris terrei; sensatio ponderis, atque dolor in ventriculo auctus, cephalea dira, animus valde tristis, per-

vigilium et deliria. Aliquoties aliae secundariae affectiones associantur. Quando morbus in mortem transire minatur etiam paralyses convultiones epilepticae singultus et insultus apoplectici insurgunt, et aegrum e medio tollunt.

Aetiologia.

Sat frequenter icterus adparere solet in climatibus calidioribus, in locis limosis, paludosis et nebulosis. Animi adfectus et pathemata graviora praeprimis in individuis sensilioribus, uti essent, ira vehemens et exaltata, atque terror improvisus, moeror, tristitia, pavor inter causas occasionales recensentur. Hic quoque adnotanda sunt studia nimis intensa graviora, continua, vita sedentaria, iners, affectiones diuturnae, hypocondriacae in hominibus, et histericae in mulieribus; vulnera caesa, contusa, illa ex armis detonantibus inflicta, presertim si subjecti dispositio ad hunc morbum, temperaturae, vicissitudines, adfectus et pathemata, error in regimine, aer corruptus adsocentur; alimenta ingesta qualitate et quantitate peccantia; fungi venenati, plumbum, arsenicum, spirituosorum abusus, uti liquores et aromata praeprimis in subjectis junioribus, robustis et plethoricis. Omnia haec primario modo huic morbo ansam praebere possunt. Quae autem secundario modo icterum progignere valent sunt: cutis transpirationis, menstruorum, haemorroidum suppressio; exhantematum et impetiginum retropulsio, fonticulorum et ulcerum vesicatio; febris exhantematicae malignae, histerismus et epilepsia etc.

Diagnosis.

Jam vidimus icterum a causis diversis ortum ducere posse, quapropter varias quoque icteri species admittere debemus. In nostra divisione statuimus tres icteri species scilicet icterum inflammatorium, spasmodicum et calculosum. Nunc signa diagnostica trademus, ex quibus unam speciem ab alia distingui posse. Icterus phlogisticus agnoscitur pro parte ex hypocondrii dexteri exploratione atque tumefactione, pro parte ex symptomatum aliarum specierum defectu, pro parte ex phaenomenis, quamvis obscuris, lentae phlogoseos; et praeprimis dolori scapulae, ventriculi, siti, calori febrili attendendum est, qui calor manifestatur certis diei horis, et pro parte tandem ex causis morbosis quae huic affectioni preerant uti essent: exercitium corporis violentum, constitutio febrium gastrico-biliosarum praedominans; exstus immodicus cum vaporum autumni tempore ex paludis exalatione conjunctus, et tandem spirituosorum abusus.

Icterus spasticus: haec species absque ulla conditione neque organica neque phlogistica, et absque ullo morbo pregresso ex tempore enasci solet, et illico bilis excretionem supprimit; plerumque icterus spasmodicus a causa quae illum induxit cognoscitur; sunt vero causae ira, terror, quorumdam serpentium morsus, ictus atque capitis concussiones. Evolvitur statim post animi pathemata in individuis irritabilibus cum doloribus atrocibus in ventriculo, et in intestinis cum corporis rigore, convulsionibus et animi alienatione; quandoque absque dolore insurgit cum difficili respiratione, summa anxietate, pulsu parvo, contracto, intermittente, qui insul-

tus bis vel ter in die recurrit. Plerumque in hypocondrio dextero nulla durities persentitur.

Icterus calculosus ab impedimento quodam mecanico excretioni biliari procedit, qui plerumque a tumore in hepatis parenchimate evoluto originem suam trahit; saepe ac saepius scyrrus ad pillorum, et ad duodenum, et sic pariter calculorum in ductu hepatico et cholledoco existentia uti icteri causa habentur. Diagnosis hujusce icteri speciei perdifficilis est, nisi aeger similium corporum expulsione jam alias morbosam suam capacitatem calculorum productioni indicaverit. Suspicari tamen licebit de irritatione calculosa quando ictero dolores intermittentes adsociantur, et quando color ipse itericus de repente atque sine ordine adparet, et disparet.

De icteri conditione patologica.

Clarissimi medici Wan-Swieten, Morgagnius et Hallerus putant, quod sub vasorum actione perturbata bilis in sanguine generari, adeoque icterus eccitari possit, et exemplum referunt icteri dimidii corporis in seniculo qui post iram in apoplexiam, et dein in hemiplegiam dextri lateris incidit quod latus eodem tempore occupabat icterus, minime vero sinistrum. Jam a Galeni tempore bilis principia in sanguine continere credebatur. Questio nunc exurgit, an bilis generari possit extra systema hepaticum? Quibus haec opinio arridet ajunt si ex cohibita bilis secretione illius principia in massa sanguinis remanent; sanguinem ipsum et omnes reliquos tumores flavescere experientia testatur; sed icterus frequenter ab impedita bilis secretione ortum agnoscit dubitandum igitur non est, bilem in sanguine efformari,

et ictero occasionem praebere posse. Qui huic opinioni assentiri nequeunt e contra dicunt, bilem jam efformatam nunquam in sanguine detexisse, et ad propriam cogitationem roborandam periculis a summis viris Thenard et Deyeux institutis innituntur, qui nunquam in sanguine ictericorum accurate examinato bilem jam paratam detegere valuerunt; qua propter Pathologi hi autumant ad bilem gignendam hepar summopere necessarium esse, et si bilis in systemate circulatorio inveniatur excogitant bilem in hepate prius paratam fuisse, et cum ejusdem excretio impedita esset per qualemcumque causam, tunc autem vasa linphatica hepatis bilem absorbent et illam in systema sanguiferum trasmittunt; retinent ergo non ex secretione bilis sed potius ex bilis excretione impedita saepe ac saepius icterum enasci posse. Id quod experimenta a Clarissimo Portal instituta extra ullam dubitationem ponunt; etenim iste auctor asserit in animalia nonnulla brevi post ductus cholledoci deligationem ab ictero corripi vidisse, et in eorum sectione vasa lympatica hepatis humore flavo, et amaro repleta inventa sunt. Opinionem hanc et summi viri Frank atque Marcard confirmare conantur, quam ad clariorem reddendam exemplo utitur Frank, nempe quod in eunucho licet seminis principia in sanguine adsint, nullibi tamen seminis vestigia inveniuntur. Neotericos ad hanc sententiam aliquantulum tamen modificatam accedere quoque nobis videtur. Cum autem ipsi observassent plerumque icterum aliqui morbo adparatus hepatici associari statuerunt tres icteri species. Primam speciem habemus, quando bilis excretio suspensa cernitur ex quadam alteratione hepatis parenchimatis, id quod observare fas est in ictero symthomatico hepatitis acutae vel chro-

nicae abscessuum et degenerationum textus proprii hepatici. Habemus secundam speciem, quando subitanea suspensio excretionis biliaris propter spasmum viarum hepaticarum praecipue, vel propter spasmum universalem individui exoritur et tunc gignitur sic dictus icterus spasmodicus, icterus gravidarum etc. Habemus tertiam speciem, ubi parenchima hepatis sanum est, et secretio efformari potest, excretio tamen hujusce liquidi suspenditur propter ductuum excretoriorum obstructionem, et tunc enascitur icterus per compressionem ductus hepatici et choledoci; icterus calculosus tandem exsurgit, si viae excretoriae ex biliaribus concretionibus obstruentur. Hisce attente consideratis facile nobis deducendum erit, quod in omnibus his icteri speciebus semper supponitur bilis secretionem a systemate hepatico parari, et tantummodo ejus naturalem decursum intercepi, qua propter lymphatica bilem obsorbent et eam in circulum ducunt. Nos hanc opinionem libenter amplectimur, quia nobis videtur magis rationi et factis consona, et eo magis quia hac in cogitatione consentientem habemus eximium Tomasinium.

Prognosis.

Quamvis icterus inter pertinaciores adfectiones recensendum est, tamen in nostris regionibus satis fausta pronunciari potest prognosis. Ut vero necessaria cum circumspectione in predicendo futurum illius decursum, et exitum incedamus bene attendendum est, ad causas eum inducentes, ad decursum et symptomata, ad aegri individualitatem, ad complicationes, et ad alias circumstantias. Icterus qui originem suam a sup-

pressione cujusdam sanguinis aut alius humoris, profluvii habitualis trahit, facile vinci potest, si denuo aut natura juvante aut pharmacorum usu fluxus suppressus revocetur. Qui a calculis biliaribus aut in cystide fellea, aut in ductibus biliaribus haerentibus ortum agnoscit, icterus dificillime sanari potest, nisi prius calculi ipsi destruantur, sed saepe calculi rursus evolvantur et icterus iterum in scenam venit. Icterus, qui ab hepatis phlogosi valde intensa, ab ostructione conspicua, a scirrho aut abscessu, et ab adaucta hujusce visceris mole oritur difficillime curatur, et aegrum ad hydropem, et ab alia mala secundaria disponit. Icterus vero symptomaticus in febribus intermittentibus levioribus facile cum medicaminibus quae febrim ipsam vincere valent curatur; in typho fere semper letalis evadit. Quo diuturnior quo vehementior est icterus eo majus periculum minatur; et si macies, cachexia singultus; sopor, deliria, hydrops; aut vomitus bilis-atrae, haemorragiae, convulsiones, lipothymiae reiteratis vicibus exurgant timendum est aegrum e medio tolli. Senes infirmi cachectici aut illi, qui alia labe detenti sunt, et in quibus icterus manifestatur, difficilius curantur, quam juvenes, et homines robusto temperamento praediti. Si icterus cum hepatitide, aut peritonitide complicetur semper aliquo stipatur periculo, si hydrops ascites aut lienis tumor adjungantur tunc aegrum non raro ad necem perducit. Periculo minus refertus, qui in nostris regionibus observatur quam in aliis, ubi tempestatis repentinae vicissitudines, et caloris intensi in frigus momentanea transmutatio sibi invicem frequentius subsequuntur; ubi ex locis limosis atque palludosis evolvuntur putridae exa-

lationes quae ei nisum perniciosum et indolem malignam communicare valent, tunc icterus letalis evadit.

Therapia.

Vidimus quod icterus a pluribus causis ortum ducere potest, plures igitur etiam indicationes curativae esse debent ad tollendas hasce causas apprime accomodatae. Si icterus ab acuta vel chronica hepatitide procedat, methodus antiphlogistica adhibenda est; hinc cum magno emolumento vena secabitur, et etiam repetitis vicibus, hirudines medicinales ad vasa sedalia, et ad hepatis regionem adplicabuntur, et interne prescribuntur purgantia antiphlogistica, talia sunt sales medii, uti tartarus tartarisatus, sal amarum, pulpa tamarindorum, cremor tartari etc. Omni aevo, nec non ubicumque terrarum mercurialia aegris hepatitide praesertim chronica laborantibus suppeditata fuerunt ; itidem valde efficax est potus frigidus aquosus. Si adest haepatis infarctus qui secundum celeberrimum Tomasinium nil aliud est nisi lenta adfectio phlogistica, praeter jam enumerata remedia cum magno levamine adhibitum fuit calomel interne et externe sub forma frictionis unguentum neapoletaneum, ad hypocondrium dexterum.

Quando icterus ab adfectione spasmodica originem suam ducit, tunc ad remedia antispasmodica confugendum est; fomentationes ergo praeprimis ad regionem hepatis adhibendae erunt, ex decoctionibus herbarum emollientium desumptae, scilicet malvae parietariae, saponariae, camomillae etc.; sic et semicupia, nec non balnea tepidula universalia simplicia utenda sunt; conveniunt praeterea inunctiones oleosae, et emplastra ex cicuta, et ex hyusquiamo ad hypocondrium dexte-

rum apposita; interne verum valde commendantur infusa camomillae, valerianae sylvestris, cum pauca muschi quantitate; opium ne nimis stimulet cum ipecachuana jungitur, et parva dosi porrigitur. — Calculi in systemate haepatico existentes fibras irritare, nec non extendere debent, consonum ergo rationi est excogitare icterum ab ipsis inductum icteri spasmodico vel phlogistico referri posse; nam propter fibrarum continuam irritationem atque distentionem evolvitur processus phlogisticus in fibris irritatis (id quod non interruptae et molestae impressioni omnium substantiarum irritantium succedere videmus); et tunc icterus ex calculis non erit dissimilis illo qui ex acuta vel chronica phlogosi provenit; et solummodo in eo diversus erit, quia non sanabitur, nisi prius calculi a locis irritatis amoveantur; tamen si calculorum actio adhuc limitata est, ut irritationem tantummodo progignere valuerit; icterus ex inde inductus irritativus tantum erit, et illo spasmodico analogus. In primo igitur casu indicationes curativae erunt illae eaedem, quas jam vidimus convenire in ictero phlogistico, idest antiplogistica et solventia; secundo in casu illae erunt quas valde utiles praedicavimus in ictero spasmodico, nempe antispamodica. In hisce duabus icteri speciebus a Witth et Durande valde laudatum fuit medicamen compositum ex eteris duabus partibus et ex essentiae therebentinae una parte vitello ovorum subactis, cujus mixturae aliquae guttae mane et vespere congruo veiculo suppeditandae erunt; praelaudati auctores tradunt hoc remedium solvendi vel saltem promovendi calculorum expulsionem proprietatem possidere; haec facultas tamen non satis comprobata est.

THESES DEFENDENDAE

I.

Gastro-enteritis vermes generat, sed etiam vermes gastro-enteritidem gignere possunt.

II.

In Diabete respicienda est qualitas potius quam quantitas urinarum.

III.

In morborum diagnosi genii epidemici notio, valde contribuit.

IV.

Haud verum, febrem sic dictam puerperalem nihil aliud esse quam peritonitidem.

V.

In curatione pellagrae methodus antiphlogistica caeteris praeponenda.

VI.

Nonnullae operationes Chirurgicae uti causae verminationis respiciendae sunt.

VII.

Urinae consideratio in morbis non est negligenda.